



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani  
Ivrvim Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii  
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum  
Patroni**

**Rebuffi, Pierre**

**Coloniae, 1610**

Præfatio ad rub. de colla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

quasi pro certo titulo poterit ordines recipere. *gl. expressa in verbo ius ad rem. in extra. sag. de offic. deleg. in communibus*, quia cum extingatur per mortem. *cap. dilecto. de præb. ita per resignationem*. Et sic nil transferretur ad conpermutantem, & natura permutationis est, quod extrema permutata eadem numeraliter maneat etiam in beneficialib. *vt probatur per totum titulum de rerum permuta. quod non esset in hoc casu*. Hoc etiam videtur sequi *Imo. in de. vna. col. 5. num. 21. de re. permut.* Et quia canonicus iste est tantum datus ad hunc effectum, & actus agentium non debent operari ultra eorum intentionem. *l. non omnis. ff. si cert. per. quamvis contrarium firmet Petrus de vbal. in suo tract. de re. permut. col. permut. col. 1. Allegat. Ioan. And. in cap. rno de rerum permut. in 6.*

*Simplex  
signatura  
an sufficiat  
& in quib.*

Decimò hæc creatio in canonicum sufficit cum simplici signatura, quia ex ea perficitur gratia. *c. institutio. 25. q. 2. scripsi in tract. de pacif. poss. num. 50. vers. 6. etiam requiritur tamen quod expressè sit creatus, nec sufficeret, si Papa derogaret statutis & consuetudinibus ecclesiarum, nec haberetur pro creato*. Sic fuit iudicatum in hoc senatu Paris. & prolatum in vigilia assumptionis diuæ virginis, anno 1539.

*Arefum.*

Vndecimò, si collator dubitet istum esse canonicum honorarium, eidem est insinuatio literarum suæ creationis insinuanda, *arg. c. ordinarii. de off. ord. lib. 6. c. ca. cum persone. de priuileg. eo. lib. 6. poterit tamen exhibitio fieri quolibet tempore, cū concordatum ad id nos non astringat, vt scripsi in tract. nomina q. 14. nu. 41. & seq.*

*Distributio  
quotidianas  
non habet  
iste cano-  
nicus.*

Vltimò non habebit vocem in capitulo nec distributiones quotidianas, nisi consuetas, nec intererit in actibus capitularibus. *Imo. in d. cle. si. col. 2. de præb. nec gaudebit privilegiis aliorum canonicorum. Bal. in l. administrantes. §. i. ff. de exc. tut. gl. in §. non censuit. in verb. numerus. de coll. in prag. quamvis Archid. videatur contraria. in cap. hi qui. de præb. in 6. Et D. Gomes. in tract. gratia. expecta. in prima forma.* [Primam sententiam veram censuit senatus Paris. pro canonicis sacri sacelli Paris. an. 1413. 12. calend. Octob.]

Reliqua de istis canonicis honorariis discutienda omitto, quia cum lucrum illorū sit in herba, granum aduo catis non dant.

*Præfatio ad Rub. de collationibus.*



Nno hoc 1535. in instaurata decretorum Paris. facultate interpretatur Rub. de coll. in concord. sequentia præmitto ad totius tituli faciliorem elucidationem.

In primis sciendum est concordatorū de quo hic loquimur, esse legem datam communi concordia principum, videlicet Papæ, & regis, *arg. l. 1. §. conuentionis. ff. de pacti. & l. si voluere. C. de res. ven.* Inde concorditer fieri, quod sit nemine contradicente. *gl. in verb. singulis. c. vbi. §. iidem cardinales. de ele. in 6.* Et concordare & conuenire parū differunt. *cap. pen. ibi, concordare nequeant. Et ibi no. de ele. in 6.* Et sunt duæ personæ, quibus mundus iste regitur, regalis videlicet & sacerdotalis: sicut reges præfunt in causis seculi, ita sacerdotes in causis dei. *canon. si incompreter. §. sed notandum. 2. q. 7.* Ideo hæc duæ personæ tulerunt has leges, vt sequitur.

Secundò præmittendum est concordata facta esse, vt legerentur & seruari in hoc Franciæ regno, sicut alia regum constitutiones, vt patet in rub. de concl. Lateranen. concilii. infra. ideo is commotus, & quia nullus hæctenus in his elucidandis scripserat, extra Ioa. Dayma. qui principium tantum inchoauerat: interpretari cepi hoc die 18. Februarii, & aliis diebus extraordinariis: vt hæc instaurata decretorum facultas omnibus frugem afferat, & hæc Parisiens. maxime floreat, quod futurum spero.

Tertiò præmittendum est, quod olim in synodo Eugenii statutum sanctè fuit, vt ab omnibus episcopis omnino cura & diligentia haberetur, vt magistri & doctores constituerentur: qui studia literarum, liberaliumq; artium dogmata assidue docerent: quia in his maxime diuina manifestantur, atq; declarantur mandata. *cap. de quibusdam*

quibusdam 37. dist. veruntamen quia id temporis magistri ab episcopis ordinabantur sine stipendiis & beneficiis, qui non poterant honestè vivere, ideo docere non poterant: quare videns concilium Lateran. quod os bouis triturantis ligari nō debet. *1. 15. Deut. 25. c. extirpandæ. in prin. de preben. & quod mercenarius est dignus mercede. 1. ad Cor. 9. c. cum secundum de preb. statuit in ea. quia de magist. quod in singulis ecclesiis cathedralibus & collegiatis præficeretur grammaticus, qui doceret clericos illarū ecclesiarum gratis: in ecclesiis verò metropolitanis, vt theologus eligeretur, qui doceret sacerdotes & alios sacrū euangeliū, & bonos mores, quibus singulis voluit assignari prouetus vnus præbendæ, quādiu doceret, sed canonicos eos esse nō decernebat: ob id sapius ab ecclesiis propter veritatem denunciata, quæ odii parit, expelluntur. Itamē ista à concilio statuta fuere, vt docentis releuaretur necessitas, & vt via pateret discipulis ad doctrinam. d. c. quia.*

Sed quia nil de religiosis statutum erat expressè, ideo Clemens 5. in conc. Vien. ordinauit, vt ipsis monachis & aliis religiosis proficiendi in scientia, via oportuna non desit, quod in singulis eorum monasteriis, quib. ad hoc suppetūt facultates, idoneus præficeretur magister, qui eos in scientiis primitiuis instaurat, ne adagio possit dici monacho imperitior. *Cl. ne in agro. §. rursus. & §. ad ampliationem de stat. mon. & in cōst. benedictinis. c. 6. de studiis.* Verum enimvero, quia studiū theologiæ deficiebat propter vnū tantū theologū, ideo in concilio Bas. fuit statutū, vt in singulis ecclesiis cathedralibus theologus constitueretur, qui ibidem canonicatū & p̄bendā haberet, vt p̄dicare, & legere possit: quod bonū visum fuit primo ecclesiæ gallicanæ ideo id approbavit, vt in prag. habetur. in §. ordin. Et postea cōcordatū fuit inter sancti. Papā & dominū nostrum regē, vt illud seruaretur, vt patet in hoc tit. de col. §. 1. Et hoc optima ratione fuit introductū, videl. vt errores vitētur, & reprobentur, qui nisi agnoscat, reprobari nō possunt. *c. legitimus. 37. dist. fin. 24. q. 3. vnde ex defectu doctrinæ olim euenit veteres plures deos*

coluisse. *Sap. 13. c. nō cognoscentes qui esset omnium rerum artifex, aut ignem aut aerem, aut gyrum stellarum, aut solem, retores omnium terrarū putauerunt. ca. qui sine 26. q. 2. & q. 5. c. nec mirum.* Alias rationes tradit gl. in §. sequitur. in ver. afferat. eo. titu. in prag. & originem concordatorum latius tradunt primæ literæ Ro. p̄t. *supr. in proemio. ibi, cernere licet, vbi etiam scripsi.*

Quartò præmittendū est, quod consiliū Basil. congregatum, vidit etiam ecclesias indigere viris literatis, vt dicitur in c. cum ex eo. de ele. in 6. quibus minimè prouidebatur, sed post exhaustum patrimoniū in acquirendo scientiam, opus erat quod mendicarent prætextu paupertatis, de qua in auct. habet. *Cod. ne filius pro patre. & ibi dixi.* Et ideo prouidere voluit hoc ordine, quod singuli collatores graduatis, qui in acquirendo gradum exhaustum patrimoniū, tertiā partem beneficiorum in recompensationē tam laborum quā bonorum in studio expensorum conferant, quod approbavit ecclesia gallicana, vt patet in tit. de coll. vbi *fusus declaratur in prag. sancti. \* Et quamuis ignari episcopi putent se in hoc paruo grauari numero, quasi viderent. c. 25. Paralip. lib. 1. vbi scribitur, quod numerus eorum erat, qui erudiebant canticum domini, cūcti doctores, ducenti octoginta, non arbitrarentur se in his paucis oneratos, sed quidam ex his canes alere mallent, vel forte, quod est deterius, meretrices, quam hos qualificatos, doctos, & expertos, sed vā illis, rationem enim de his reddituri sunt apud deum exactam.*

Quintò præmittendum est, quod hæc prag. fuit Roma. pontifici & ordinariis collatoribus exosa, adeo vt eam hæresim appellarent, & in scissuram ecclesie, & mēbra diaboli vocauit Barb. c. mandatum. col. 5. *de rescrip. ideo cum Lud. 11. antequam ad regnum peruenisset, promississet Papæ se prag. deleturum, cum rex creatus esset, quod contingit, ideo promissi memor Sixtus Pont. max. ad eum legatam Io. Belluā monachum irregularem pro antiquanda dicta prag. misit Rex egregii animi fidem obstrictam liberare cupiens, prag. sublatā,*

Quare statutum primo fuit vt literatis prouideretur.

Pragmatica erat Papæ, & ordinariis exosa.

iri voluit, sed schola Parisiaca restitit, & Io. Romanus regius tunc procurator, quibus multa dolosus ille Bellua minatus fuit, vt etiam meminit Bened. in repet. c. Raynucius. in verb. & vixit n. 450. & seq. & in verb. si absque in 2. de subst. fidei commissis. num. 44. de rest. Tandem quædam concordata fuerunt inter Sixtum & Ludouicum inita quæ non fuerunt recepta, vt in extrau. ag. ad vniuersalis ecclesie regimen. de reu. ga. l. communibus. & Gagui. lib. 10. in vita Lud. u. vers. fama ante hos dies, & c. fol. 267. scribitur. & in rubr. de const. §. vide super eo. & gl. in §. non volumus. de colla. in pragm. in verb. quatuor. Verum enimvero quia non fuerunt à regnicolis (vt dixi) recepta, ideo non ligauerunt. gl. in c. de reu. g. Et ideo semper erat inter summum pont. & Francie regem pro prag. controuersia, quare instigante diuina gratia Leo Papa 10. & Christianus Franciscus Francie rex, huius nominis primus hæc concordata tulerunt, ann. 1517. apud Bononiam, quæ fuere recepta, vt videre licet in quibusdã, nec quidem in omnibus, vt inferius dicitur.

Sexto præmittendum est, quod in his concordatis theologalem vocarunt) prouideri voluerunt, tam in ecclesiis metropolitanis quam cathedralibus, vt studium theologie magis ac magis ampliatur: vt plane demonstratur infra eo. §. statueruntque tertiam partem beneficiorum conferendã esse nominatis graduatis, ac ritè qualificatis. Veruntamen erat difficile elucidare turnum in prag. statutum, & scire tertiam partem nominatis & graduatis debitam. Ideo clarius concordata statuerunt, vt loco tertie partis beneficiorum, tertia pars temporis graduatis & nominatis assignaretur, intra quod tempus beneficia vacantia nominatis & graduatis conferrentur, & hoc statutum est in hoc tit. maximè, & est optima declaratio, quàm summè optauit fieri. gloss. in verb. ordo. §. item placuit. eo tit. in prag.

Bona declaratio concordatorum pro graduatis & nominatis.

Prouidere literatis est iuri diuini

Vltimò præmittendum est, quod ista constitutio volens prouidere literatis est conformis legi, tam diuinæ quàm naturali.

canonica, & ciuili. Primò diuinæ, in qua dicitur quòd Pharaon tempore sterilitatis alebat sacerdotes. Gen. 47. c. & cum Abraham descendisset in Ægyptum docuit sacerdotes Ægypti astronomiam, & tunc ceperunt illam scientiam studere, & à rege habebant victum, vt dicit Ioseph. lib. 1. antiq. & sacerdotibus in Ægypto primo philosophiæ vacare concessum est. Arist. in 1. Meta. quos refert Conrad. in tract. de contrac. q. 73. vult. in hoc ut. prouideri doctorib. & graduatis. Item in l. n. qua diuina dicitur. 1. Cor. 9. c. Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Nescitis quòd qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deleruiunt, cum altari participant. & Luc. 10. ca. permittit Christus discipulis comedere & bibere, dicens. In quamcunq; domum intraueritis, in eadem manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. dignus enim mercenarius mercede sua. sic dignus est docens, mercede. & Osee. 4. dicitur. Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi, facit. ca. si iusta. §. dist. plenè Fel. in c. si quando. col. 9. vers. sam. gloss. dicit de rescrip.

Item conformis est legi naturali, qua cauetur vt filii alant parentes suos, sicut contra pater suos filios. I. si quis à liberis. §. de lib. agnos. l. 1. in si. & seq. §. de iust. & iur. Sed doctores & alii graduati dicuntur parentes illorum, quos docuerunt. l. 1. c. de excusat. art. lib. 10. & ad Galat. 4. cap. dicitur. Filii mei quos iterum parturio. & 1. ad Co. 4. cap. Ego per euangelium vos genui. & ibi cap. dicitur. Si vobis seminamus spiritualia, est magnum si metamus carnalia vestra. cum ex officio de prescrip. Vnde cum præceptores alant animas discipulorum, & anima est plusquam esca. Luc. 12. c. & præferenda omnibus rebus. I. facimus. C. de sacrosan. eccl. ergo ipsi sunt alendi, & non possunt melius ali, quam quod prouideatur eis de beneficiis. ergo hæc constitutio volens, vt eis prouideatur, est illi iuri conformis.

Item conuenit legi canonice volenti prouidere viris literatis, & non alinis deferratis, dicit Io. Mo. in c. cum ex eo. de electio. 696.

no. in c. cum in cunctis. in prin. de ele. Imò i- gnarus est iuri magis exosus, quam homi- cida. c. si. de tra. & qual. tenent. lan. & Pan. in c. cum nostris. de concess. præb.

Item conuenit præterea legi ciuili, in auct. habita. C. ne fil. pro patre. & in proemio ff. & in §. si. in proce. insti. Ex his ergo patet constitutione in istam, & animæ, & corpori sa- lubrem esse, & ideo literatis & graduatis fauendum est, vt dixi supra rub. de approb. conuenio. in gl. persone.

Insuper quæro an altera pars valeat de- rogare his concordatis. Grauis est quæ- stio & ardua: super qua possum dicere. I- sta non decent humeros gestamur nos- tros. Barb. consi. vol. 1. Dicam tamen quid in ea sentiam.

Primò videtur quod sic, quia conditori licet aduersus suam constitutionem dis- pensare, etiam sine causa. nam sicut fuit motus ad faciendum, ita ad tollendum, si- ue dispensandum est enim pars ius ligandi & soluendi. c. verbum. de pen. dist. 1. l. qui con- demnare. ff. de re iud. Eius est nolle, qui po- test & velle. l. eius. ff. de reg. iur.

Secundò, legimus apostolicam sedem o- lim Antiochiæ existentem, iussu domini per B. Petrum Romam translata. ca. rogamus. 24. q. 1. vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentiliū principes habitabant, illi ecclesiarum prin- cipes morarentur. c. beati. 2. q. 7. Et mutatio- nes cathedralium ecclesiarum suadete ne- cessitate & vtilitate fieri posse non ignora- mus. c. mutationes. 7. q. 1. ac mutationes san- ctorum. c. tribus. de cons. dist. 1. c. si quis vult. 16. q. 7. sic & constitutionum mutationes.

Tertiò, Papa & rex habent plenitudinē potestatis. l. princeps. ff. de legi. c. proposuit. de concess. præb. Bal. in c. si. de prohib. fen. alie. per Fe- der. Et licet sint iudices ordinarij hominū, tamen sunt delegati Dei, Papa videlicet in spiritalibus, Rex in temporalibus. gl. sing. in proemio. vol. in i. gl. quam notat Barb. in repe. c. Raynaldus. col. 77. de test. & cons. 34. col. 21. in 2. vol. & cons. 1. col. 3. in 3. vol. D. Boer. in tracta. de auctori. sacri magni concilij, in add. ad Monsai- gne. fol. 28.

Contrarium credo verius, quia congor-

data contractus vim habent, vt patet infra de firma & irrevocabili concordato. stabilita. & cō- tractus ligant etiam principem. c. 1. de proba- ca. postquam. in 25. q. 2. c. 1. de natura feudi. Nil est quod ampliore luce præfulgeat, quam re- cta fides in principe. epistola. inter claras. C. de summa trim. gl. in c. ad apostolica. de re iud. in 6. Et concordata habēt vim decreti, vt quic- quid factum fuerit contra illa, non teneat. Dom. consi. 56. inter sanctissimum. col. vlt. Et de- cretum est appositum in dicta rubr. de firma & irrevoc. in §. 1.

Item quando constitutio transit in con- tractum, reuocari non potest in præiudi- cium eorum, quibus ius ex eadem quæ- stionem est. Inn. in c. nouit. de iud. loa. And. in addi- tio. ad Spec. in tit. de consi. §. nunc dicendum. vers. quid si vniuersitas. Bari. in l. hi qui. ff. de iure im- munit. Refert Roma. cons. 352. quæritur. col. 3. Deus ipse seruauit quod promisit Abrahæ. Gen. 22. Multiplicabo semen tuum, &c.

Item de spiritus sancti missione, Luc. vlt. Ego mittam promissum patris mei in vos spiritum. Ergo & principes debent serua- re. Nec obstat quod constitutionem con- ditor reuocare potest, quia, fateor, nisi transeat in contractū, tunc tollere, vel dis- pensare aduersus eam nō possit. arg. l. quod senel. ff. de decre. ab ord. faciend. Inn. in d. c. nouit. de iudi. Bal. in cap. innouit. col. 1. de ele. Roma. d. cons. 325. quo ad primum. col. pen. vers. nisi con- stitutio. & cons. 116. visis necessariis col. 1. Ratio est, quia si esset in voluntate principis con- tractum factum infringere, nullus cum eo contrahere vellet, & sic commercio homi- num careret contrahendo, quod esset ab- surdum, vt qui est princeps omnium, cō- mercio omnium careret, & qui est omniū præsul, esset omnium exul. verba sunt Bal. in l. princeps. ff. de leg. Ale. cons. vlt. in m. 22. in 4. vol. Barb. in cons. 2. a loue. col. 2. in 4. vol. Alber. Bru- nus, in cons. 2. viso themare. col. 4. & cons. 13. pa- tres. col. 6. & de Ripa in li. 2. respon. c. 28. Allobro- gum. l. asin. l. si pecuniam. col. 5. nu. 13. ff. de condi. Plures ra- ones esse, & hominum carere commercio. l. re princeps hi qui sancta. C. de apost. vt erat Tantalus, pro- ut poetæ dicunt, & Hora. Satyra i. Tantalus non reuo- à labris sitiēs fugientia captat flumina. tex. cer.

Constitu- tio non re- uocatur quando transit in contractū.

Vna pars au concordatis derogare pos- su.

Mutatio- nes eccle- siarum & sanctorum fieri possunt. Papa & rex sunt delegati Dei, licet ipsi hominum iudices ordinarij.

fatis accommodus in l. quod si minor. §. i. ff. de minor. qui sic habet, ne magno incommodo huius ætatis homines afficerentur nemine cum eis contrahente. & quod in modo commercium eis interdicatur.

Secunda ratio est, quia nullus potest contra substantiam actus illo remanente disponere. l. cum in precario. ff. ad prec. gl. in c. 2. de consue. in §. l. ubi. ff. de do. cau. mor. sed substantia contractus est, ut sit utroque obli- gatorius. l. l. ab eo. ff. de verb. signifi. ergo princeps contrahendo substantiæ contrarius se subicit, alioqui non esset contractus, sic in simili dicitur in c. cum ad monasterium. de statu monach.

Tertia ratio, quia id quod nostrum est, sine facto nostro à nobis non potest auelli. l. id quod nostrum. ff. de reg. iur. Roma. conf. 52. queritur. col. vi. sed per contractum nobis quaritur, ergo non poterit auelli sine nostro facto.

Quarto, non seruare fidem contractus, est mentiri. l. dolus. ff. manda. & mendacium abominabile est in ore principis maxime. Bal. conf. 24. ius abbatialis. vol. 2. ergo fidem seruare debet contractus.

Quinto, contractus sui natura est transmissibilis ad hæredes. §. ex conditionali. §. ubi Christop. Porc. in sti. de verb. oblig. Bal. conf. 159. super eo. col. 2. in 3. volum.

Sexto, de iure naturali obligatur princeps propter consensus. l. i. ff. de pac. ideo non potest tolli per principem. Dec. conf. 286. in causa. §. conf. 292. & pro tenui. col. vlt.

Septimo, si princeps non obligaretur ex contractu, nec contrahens, secum, ex natura, tam contractus, quam correlatiuorum. l. 2. C. de indict. videtur tot. §. ubi Ias.

Octaudo, contractus sunt de iure gentium, cui non possit derogare princeps. cap. i. de prob. §. gl. in l. 2. C. de precib. imper. offer. l. ex hoc iure. ff. de iusti. §. iure. l. eas de capi. diminit. ubi dicitur quod ciuillis ratio non potest iura naturalia tollere. §. si de leg. agna. i. utel. in inst. l. bona fides. ff. de posi.

Nonò, in contractibus princeps consideratur ut priuatus, qui à principio contrahere potest vel non, sed postea factum contractum obseruare tenetur, sicut &

priuatus. l. sicut. C. de act. §. ubi sic consilium. Dec. d. conf. 286. in causa. col. pe.

Decimo, naturalis ratio vult, quæ contrahentibus placuerunt, ea seruare tenentur. l. i. ff. de pact. quia graue est fidem fallere. l. i. ff. de consi. pec. Et sic licet princeps sit solutus legibus, non tamen dictamine rationis naturalis, nec lege naturæ. verba sunt Bal. in l. 2. co. 6. nu. 40. C. de seruit. §. aqua. Dec. conf. 28. §. mature col. 3. Et quamvis imperator sit supra caput iuris ciuillis, tamen est sub pedibus iurigentium, & eo iure ligatus, teste Barb. in c. i. col. n. nu. 78. de consi.

Item dicit David. l. sal. 148. Statuit eam æternam, & in seculum seculi præceptum posuit, & non præteribit. Et ista est communis conclusio vtriusque iuris professorum, quod Papa & alij principes ex pacto & contractu obligentur. Bar. §. alij in l. digna vox. C. de legibus. Bal. in l. si. C. de transact. §. l. ex imperfecto de test. Ias. m. l. ciuitas. col. 3. si certi. per. §. conf. i. vol. a. Ioan. de Ana. in consi. in verso instrumento. col. 2. §. omnes. m. d. c. i. de prob. Barb. in c. i. col. 5. de consi. §. col. 9. cum seq. Dec. conf. 410. in causa. §. conf. 689. v. i. col. 2. Anto. Nic. cl. in concor. iuris. vlt. estque communis opinio aliorum, quos si citarem turbæ illorum lectores fatigare possent. eos igitur nunc nullo modo facio.

Vndecimo, æqualitas in contractibus requiritur, & ideo in illis princeps iure communi uirtitur. Bal. in c. a. de natura feud. præfati Dec. conf. 380. queritur.

Vltimo, facit dictum Bal. in c. cum omnes. de consi. quem refert Fel. in cap. cum accessio. col. 2. nu. 5. eo. i. quod si episcopus cum consensu capituli (qui aliàs erat necessarius) fecerit statuta, quod solus episcopus non poterit ea reuocare, sic nec aliter concordata & sic concluditur, quod alter, videlicet Papa vel rex, concordata reuocare non possit. imò si esset fas dicere, cõcludendū esset, nec Papam cum rege concordata posse reuocare, quia omnis res per quascunq; causas nascitur, per easdem dissoluitur. c. a. de reg. iur. §. l. nihil tam naturale. ff. illo i. Sed Concordata ista concordata fuerunt inita inter Papam, sedem apostolicam, & regem ac regnum Franciæ, ut patet in rub. de firma. §. irrecuo. con. Papam, §. cor. stabit.

den apo-  
stolicam,  
& regem  
ac regnu.  
cor. stabi in prin. ergo, &c. & in vers. necnon sic  
dicitur. Necnon irritum & inane quicquid  
secus super his, vel eorum aliquo, à quo-  
quam quavis auctoritate, etiam per nos &  
successores nostros prælatos scienter vel  
ignoranter contigerit attentari decerni-  
mus. ecce ibi rex. formalem pro huius que-  
stionis decisione. [ & consultus Per. Paris.  
consil. 2. nu. 120. & seq. in 4. vol.

Successor  
an contra-  
ctum re-  
vocare pos-  
sit.  
Quæro an successor possit renovare cō-  
tractum factum à prædecesore & videtur  
quod sic quia licet princeps ligetur cōtra-  
ctū, non tamen successor, nam contractus  
principis non transit in successorem, qui  
non habet causam à prædecesore. morte  
enim regis finitur honor regis, dicit expres-  
s. Bal. in l. si pater. C. si pend. appell. mors interven.  
l. lex vel titig. ff. de pig.

Secundo Papa, imperator vel rex. non  
potest imponere legem suo successori. Ioa.  
Mona. in c. 1. de consil. in 6. Bal. in proemio feudo.  
col. 3. vers. expedita. & c. in prin. col. ult. qui feud.  
dare poss. post gl. ibi, in ver. abbas. & Ant. de  
But. in consil. 74. visis statutis. col. 1. per c. innotuit.  
de ele. paulo post princ. ibi, qui successoribus  
suis nullum potuit in hac parte præiudi-  
cium generare, pari post eum, imò eadem  
potestate functuris, licet lex non possit  
imponi successorī, iudicari tamen potest.  
c. si. in si. de reser. in 6.

Tertio, par in parem non habet impe-  
rium. l. 4. ff. de arbitris. l. ille à quo. S. tenest  
uam, ad Trebel. & dicit Bal. in proe. ff. rum. col.  
4. vers. sed oppo. quod sicut imperator non  
potest imponere successorī legem legis,  
ita nec legem contractus, nam omnis au-  
thoritas pendet ex lege. l. legitima. ff. de pac.  
plenisime Bar. consil. in 1. vol.

Contrarium est verius per rex. in d. c. 1. ibi,  
prædecesores tuos, de prob. l. si. ff. de don. inter vir.  
& vxor. Alber. in l. 1. col. penult. ff. de offic. procu.  
C. 1. Nempe iustitiae ac rationis ordo sua-  
det, vt qui à successoribus sua mandata  
seruari desiderant, prædecesoris sui pro-  
culdubio voluntatem, & statuta culto-  
diant. c. iustitiae. 25. q. 1. quia successor cense-  
tur vna persona cum prædecesore. in auth.  
de iureiur. a morient. præst. col. 4. dicit iuris-  
consultus legionem eadem haberi ex qua

multi decessissent, quorum in locum alij  
suffecti essent, & populum eundem hoc  
tempore putari qui ab hinc centum annis  
fuisse, cum ex illis nemo nunc viveret in l.  
proprietate. ff. de iud. Ideo dicit Bar. in l. pro-  
hibere. S. plane. ff. quod vi aut clam. quod  
concessio seu donatio facta à rege, quæ facta à re-  
non affert magnum præiudicium iurisdic-  
tioni regali, præiudicat successorī in re-  
gno per c. abbas. sane. de re iud. in 6. Oldra. consil.  
ps. ex forma. affert præ-  
iudicium,

Item dicit Bar. in l. digna vox. C. delegib. is. præiudicat  
quod pacta & concordata quæ fierent ho-  
die cum regibus Franciæ & Angliæ, por-  
rigerentur ad successores. Et sic successor  
ligatur ex pactis & concordatis initis cum  
prædecesore. Bal. in cap. 1. qui success. feud.  
da. teneantur. Et idem Bal. consil. 271. casus Silij.  
in 1. vol. & consil. 371. verba Cym. in 3. vol. plene D.  
Ioan. Igne. us in repet. l. donationes. col. 2. & seq.  
C. de don. inter virum & vxor. Et ista est verā  
& communis conclusio vtriusque iuris  
doctorum, videlicet quod cōtractus prin-  
cipis transit ad suos successores, ac eis præ-  
iudicat, & obligat, vt tenet Ias. in consil. 10. vide-  
retur. col. 3. in 3. vol. facit quod notat Oldra.  
consil. 94. eleganter. in si. vbi sententiam latam  
contra vnam, nocere successorī asserit.  
Calca. consil. 62. factum tale. col. 2. Et allegata in

Successor  
ligatur pa-  
bus vel pactis gestis per principem. Domi. & s. præde-  
consil. 74. arrentis col. 1. Bologni. consil. 6. viso igitur. cessoris fal-  
col. pen. nisi concederet Regalia. c. intellecto. licet vt in-  
de iureiur. quia sicut non potest iura succel-  
fra.

forum subuere, ita nec minuere. l. si o-  
prio. ff. qui & à quicapa. que sint rega. Ias. consil.  
1. col. 3. vol. 1. & d. consil. 10. in si. vol. 3. Intellige  
quando pacta essent inita sub nomine di-  
gnitatis. c. quoniam abbas. de offi. deleg. vt hic  
sunt inter Papam & sedem apostolicam, &  
regem ac regnum, ergo à Papa, à sede, & à  
rege ac regno seruari debent, & etiā à suc-  
cessoribus, quia dignitas non moritur. c. si  
gratosè de reser. in 6. & sic semper erit sedes  
apostolica, & regnum Franciæ.

Item quādo aliquid statuitur super fide  
& moribus à Papa, successor eius non po-  
test hoc reuocare. extranea. quorundam. vers.  
ad impugnandas. de ver. sign. in extra. Ioann. 22.

*Anth. Nicellus in conc. vlt. glo. iuris canonici & civilis vbi et alii quatuor limitationes. vide glo. in verb. iuret. §. decreuit. de elect. in prag.*

Item quando pacta sunt realia, vtpote facta sub nomine gentis, tunc etiam transeunt ad successores. l. conuentionum. ff. de pact. Bal. in d. l. digna vox. in fi. nisi dolus interuenerit ex parte vnus, quia gesta dolo, rata pretor non habet. l. i. §. per tot. ff. de dolo.

Item quando fit mentio successorū, tunc sunt in rem scripta. Bal. consil. 159. super eo. col. 2. vol. 3. \* Imò dicit las. in l. i. col. per ff. de consti. prin. quod reges & alij, qui per successionē veniunt tenentur seruare contractus, & conuentiones prædecessoris, sicut quilibet successor priuati. per text. in l. cum a matre. C. de rei vend. §. c. licet. de vici. refert. Ant. Caput. in decis. Neapol. q. 121.

**Priuilegiū**  
quando nō  
posuit reuo-  
cari.

**Priuilegiū**  
datum ve-  
nicentibus  
ad habitā-  
dum in a-  
liquo loco  
non reuo-  
catur.

Item priuilegium licet in contractum transierit, tamen potest princeps illud reuocare ex causa publica, & iusta. l. si hominem. ff. mand. Soci. consil. 4. super questione. col. 3. vol. 3. Alex. consil. 16. in causa. col. pe. vol. 5. Aret. in c. nouit. in gl. quicunq. de iud. Quando illa reuocatio fit in præiudicium subditi reuocantis, secus in subdito alterius principis, vtpote in Hispano vel Anglo, à quo priuilegium auferri non potest. Alex. consil. vlt. nu. 19. in 4. vol. per c. in nostra. de iur. & ibi Imoce. & alij. las. consil. 227. col. ii. vers. 14. in 2. vol. vt quando concedit exemptionem venientibus de nouo ad habitandum ad aliquem locum. Bar. in l. omnes. ff. de iusti. & iur. Alex. consil. 54. viso puncto, in 4. vol. Barb. in repet. cap. cum. M. col. 26. n. 70. de const. 3. Roma. in repe. l. si vero. §. de viro fallent. 24. ff. sol. matr. Et quando dicatur iusta causa. las. d. consil. col. 10. vol. i. vide aliam limitationem per Bal. in ca. mo. qui successo. seu. dant. col. 2. Et Bertr. consil. 214. Multæ sunt. col. vlt. in 2. vol. secundum nouam impressionem. Lud. de Gozand. consil. 5. an in questione. col. 3. numer. n. & Caput. in decis. 166. in 1. & 2. quest.

**De priui-  
legis Pero-  
nium.**

Item quando priuilegium concessum est ob remunerationem, vtpote, quando princeps concessit ob laborum remunerationem, quos pro reipublicæ utilitate subditi perpessi sunt (vt nuper habitatores Peronæ, qui ob eorum benemerita exem-

ptionibus tributorum seu talliarum, ac aliis priuilegiis à rege hoc anno 1536. donati sunt in mense Februario. hi enim Saguntinos longo superant intervallo. Illi enim pertinacia quadam in foro igni extracto quicquid erat pretiosarum rerum, in eum coniecerunt, ac demum se, suosq; liberos ne in hostium manus venirent: hi vero eorum prudentia ac providetia seiplos liberosque, ac res suas à faucibus inimicorum eripuerunt. vnde adagio dici potest, Peron. defensio, id est mirabilis, ac prudens. non potest reuocari etiam prætextu ingratitude. l. si pater. §. si ff. de donat. Bal. in l. si commi. hi. de dolo. Rom. consil. 436. quod indultum. Et derogatio generalis priuilegiorum non tollit hoc priuilegium, vt docet Rom. in repe. si vero. §. de viro fallent. 24. ff. sol. matr. & Trinquar. in repe. l. si vnquam. in verbo donatione. numer. 13. C. de donat. Ideo cum hæc concordata ligent tam Papam quam regem, & suos successores, fortius & suos subditos, quod intellige in his quæ fuerunt recepta, & quæ tangunt commodum ecclesiæ gallicanæ. gl. in c. i. de treuga.

Et ideo quo ad expressionem veri voluntatis non fuerunt per regnicolas recepta licet statutum fuerit in his concord. in rub. de manda. apost. in fi. quod verus valor exprimat, alioqui gratiæ sint ipso iure nullæ, si à summo pontifice emanatæ sint: quia regnicolæ, vt fulgura, constitutiones bur-sales odio prosequuntur, & quantum in se est abiiciunt. Istis ero contentus, recordatus dicti sapientis Catonis. Cum sis mortalialis, quæ sunt mortalia cura, & quia sunt supra caput.

Postremo, vt inter iuris consultos materia collationū est utilis & ardua, teste Paul. in rub. C. de colla. sic apud canonum professores est valde utilis, ideo attingenda iuxta l. leg. iij. ff. de liber. lega. & quia hæc sunt leges regni, ideo scire debent, vt fiantur. Sequitur rubrica.

*Rub. de Collationibus. a*

**D**E Collationibus. ) Pro cuius elevatione in primis videndum est, quot modis capiatur collatio.

Primò